



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. VIII. De Socotorae insulae statu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**

## CAPVT VII.

DE GVINEA, ET INSVLA  
*S. Thome.*

**G**Vinea AEthiopiæ Occidentalis regio,  
ab vrbe celeberrima *Genne*, ad Zan-  
gam fl sita, sic dicta, quamquam Zonæ  
mediæ fermè subiecta flagrantissimo sole  
torretur, non tamen idcirco ( vt falsò prisci  
putarunt ) ab incolis deserta est, quin imò  
plurimos numerat populos , nigro omnes  
colore. Ex opposito Guineæ iacet insula &  
vrbs *S.Thome*, sub linea æquinoctiali, quæ  
Episcopum habet Olisiponensi in Lusitania  
Archiepiscopo suffraganeum . Guineam  
Lusitani suis armis subegerunt, & ad barba-  
ros in officio continendos, multis eam arci-  
bus instruxerunt.

## CAPVT VIII.

DE SOCOTRAE INSVLÆ  
*statu.*

**S**Ocotra insula, ad Orientalem Africæ  
oram, prope sinus Arabici, vulgò Rubri  
fauces, sita est; regio in primis estuans, &  
dactilorum ferax admodum , ex quibus in-  
colæ

colæ panem conficiunt. Hi sese Christianos dicunt, & ad S. Thomam Apostolum, quem præcipua veneratione colunt, originē suam referunt. Ab eo maiores suos olim ea in insula baptizatos gloriantur. Cruces in altari- bus collocatas, & præpendentes lychnos ha- bent. Multas memoriter precationes Chal- dæâ linguâ, ut appareat, corrupâ compositas recitare solent, vocem illam Alleluia, Alle- luia sæpius iterantes. Reliqui ipsorum ritus, partim Saracenorum ( qui ea in insula ferè dominantur) partim Ethnicorum erroribus ac superstitionibus sunt inuoluti. In multis sequuntur opiniones Abassinorum, de qui- bus suprà diximus.

Anno ferè 1482. Fartacus Rex Mahome- 1482.  
tanus insulam totam subegit: sed à iugo eam Mahometano semel arque iterum Lusitani vindicarunt. Hodie Turcis subest, qui insu- lam occuparunt, eo ferè tempore, quo Ade- Aden,<sup>1</sup>  
num, nobile sinus Arabici emporium inua- serunt.

In Socotoræis Christianis iuuandis plu-  
rimam olim operam posuerunt, Antonius  
Laurerus, monachus Franciscanus, & B.

Franciscus Xauerius, ex So-  
cietate Iesu.